



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1521. usque ad annum 1525

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1769**

**VD18 90118472**

§. 81. Pallavicinus a Cæsareis coesus, captusque.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66495](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66495)

Sæcul. XVI  
A.C. 1525.

millia, quæ non ita pridem ad Gallorum castra venerant, nulla mora redirent, ac patriæ suæ succurrerent. A deo urgens erat hoc edictum, ut Grifones spretis etiam summis, quas Rex interponebat, precibus detineri haud paterentur, sed quinto ante pugnam die ad sua reverterentur; cum vero in reditu suo a Cæsareis vix ullam paterentur molestiam, suspitioni locus dabatur, eorum Ducem clandestina cum Cæsareis fovisse consilia.

§. LXXXI.

*Pallavicinus a Cæsareis cæsus,  
captusque.*

Aliud insuper infortunium Gallorum exercitum numero & potentia frangebatur; Cæsarei enim Joannem Ludovicum Pallavicinum, qui Regis signa sequebatur, ingenti clade affecerunt. Hic, cum nuncium accepisset, quod Cæsarei aliquantulum annonæ ex Cremonensi urbe perciperent, ac nonnisi exiguum præsidiariorum numerum ibidem haberent, cum civium eis addictorum fidei sat fiderent, quantocius urbem inopino impetu obruere constituit; hinc cum quadringentis levioris armaturæ equitibus, ac duobus peditum millibus Cremonensem tractum ingressus, ibidem  
Fran-

Franciscum Rangonium Comitem præ-  
stolatus est, qui cum totidem equitibus, ac  
quatuor peditum millibus sequebatur.

Sæcul. XVI.  
A. C. 1525.

His copiis auctus usque ad Casale ma-  
jus processit; at Pallavicinum præve-  
nit solertia Alexandri Bentivolii, qui  
Ducis Mediolanensis Tribunus, quam-  
vis nonnisi ducentorum equitum, ac mil-  
le quadringentorum peditum agmen  
duceret, tam dextre Gallis instabat, ut  
Pallavicinum profigaret, captumque  
abduceret. Hæc clades penitus ever-  
tit consilia, quæ Franciæ Rex adversus  
Cremonenses moliebatur.

§. LXXXII.

*Arx S. Angeli Laudam inter &  
Papiam a Cæsareis  
capta.*

Interea hostes propius semper ad Pa-  
piensem urbem accedebant, arcem-  
que S. Angeli, quæ Laudam & Papiam  
intersecat, suis armis subjecerunt. Nil  
certius erat, quam hanc arcem a Cæ-  
sareis occupatum iri, non modo ut a  
tergo se tutos redderent, sed maxime  
id ab illis fiebat, ne commeatus ex Lau-  
densi ditione ad eorum castra advehen-  
dus intercipi possit. Hanc ob rem Bo-  
nivetus equidem validum arci præsi-  
dium imposuit, illiusque imperium Pyr-  
rho